ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Nobilissimo, praestantissimoque viro
D. Constantino Hugenio
C. Barlaeus S. P. D.

Nobilissime Hugeni,
undique dum querulae rumpunt arbusta cicadae,
etiam mihi interstrependum fuit. Hylas est, quem canimus, nulli
non dictus puer. Et si quam maxime silere voluissem, non potui
per amicorum et preces & imperia. Qui enim antehac ~~ut~~ ultro
liberalis fui in depraedicandis heroum virtutibus, velut debito
quodam me obstrinxisse videor, idem in posterum factitandi. Nec
tamen illibenter feci id, quod feci, et publicis votis adiunxi non
invitus benevoli in patriam animi testificationem. Jam septimanae
sunt quinque et ultra, ex quo inter prelum & manus meas haesit
hic libellus, maxime ob adversam valetudinem, et hypochondriacum
πάθος, quo subinde vexor. Decreveram historica narratione
prosequi res gestas obsidionis istius. Verum mutavi consilium
gravibus de causis: veritus ne idem mihi contingeret, quod Marsyae
apud Ovidium. Satius itaque putavi, si meo me modulo metirer,
et intra septa carminum starem. Praemisi Panegyrici aliquid
quod ex iis, quae historiae meae hic illic inspersam contexui. Sequitur
Poema, in quo praeter alia prolixitas mihi displicet. Nisi sufflaminassem
furorem meum altera parte auctius prodiisset. Abrupi multa, in
quibus luxuriari potuisset vatis ingenium. Utinam ab A.T. impe-
trare possem, ut Principi Auriaco exemplar a me offerre digneris.
Ego hoc in maximis tuis erga me meritis reponam. Nulli
inscribere praeter morem videbatur. Alteri, praeterquam Principi,
nefas, utpote cuius ἴδιον πρᾶγμα fuit urbis istius
expugnatio. Jam Musas omnes, Apollinem, Minervam cum
toto Helicone valere iubeo. Furori bellico finem si non
imponant Sylvaducis, imponent saltem furori meo; et si
non desinant Martem lacessere Batavi, ego posthac desinam
Phoebo gravis esse. Ultima Apollinei fuerit mihi Sylva laboris
meta.

Exemplar Principi dicatum ex veste cognosces, A. tuae ex
inscriptione. Addidi exemplar ad praesidem Cromhoutium, Heraeum et Scholtum
Consiliarios, uti etiam D. Catsium. In iis deferendis quaeso
famuli tui operam mihi commoda. Vale amplissime,
doctissime, humanissimeque Hugeni, et de studiis meis,
quod fecisti saepius, benigne iudica. Raptim e Museo
nostro Lugd. Bat. XII Novemb. CIƆIƆCXXIX.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474

Edele, Erentfeste, Heere
mijn Heere
Constantinus Huygens
Ridder, Secretaris van
Sijn Exie woonende
in de Houtstraet bij 't Hoff

Met een packske

Hage

Port
14. 8b/29.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 38
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/474